



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

38. De locis dudum sacris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De locis dudum sacris. *Ex eodem Capitulari capit. LIV.*

Lib. 4. Capitular. c. 53.

XXXVIII. De locis jam dudum sacris & nunc spurcitia fœdatis, ut juxta possibilitatem in antiquum statum refoventur.

De Ecclesiis destructis. *Ex eodem, cap. III.*

Lib. 5. Capitular. c. 144.
Lib. 3. Leg. Longob. tit. 1. c. 45.

XXXIX. De Ecclesiis destructis, ut Episcopi & Missi inquisitionem faciant utrum per negligentiam aut impossibilitatem destructæ sint; & ubi negligentia inventa fuerit, episcopali auctoritate emendare cogantur qui eam restaurare debuerant. Si verò per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint quàm necesse sit, aut majoris magnitudinis quàm ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniatur, qualiter congruè emendari & consistere possint.

De eadem re. *Ex Capitulis synodalibus Karoli junioris cap. LXII.*

Capit. Karoli Calvi tit. 6. c. 66.

XL. Servi Ecclesiarum quibuscunque potestatibus subditi, unde melior consuetudo vel devotior commendatio ex tempore & jussione Domni Ludouici vel certè Domni Karoli seu etiam Pippini non existit, saltem viginti diebus in anno eidem Ecclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas absque molestia servire sinantur. Ubi autem & amplior commendatio & melior consuetudo inde haberetur, pro hac nostra necessitudinis consideratione non decedat.